Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1547
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

omnem scientiam et habuero omnem fidem ita ut montes transferam, nichil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnem substantiam meam et si tradidero corpus meum ut ardeat, nichil mihi prodest. Quantum ergo bonum est sine quo ad eternam vitam neminem bona tanta perducunt. Ipsa vero dilectio sive caritas, nam unius rei est nomen utrumque, si habeatur cum qui non loquitur linguis, nec habet prophetiam, nec omnia scit sacramenta omnemque scientiam, nec distribuit omnia sua pauperibus vel non habendo quod distribuat, vel aliqua necessitate prohibitus, nec tradat corpus suum ut ardeat si talis passionis nulla temptatio est, perducit ad regnum, ita ut ipsam fidem non faciat utilem nisi caritas. Sine caritate quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse. Propter quod et apostolus Paulus: In Christo, inquit, Ihesu neque circumcisio aliquid valet neque preputium, sed fides que per dilectionem operatur. Sic eam discernens ab ea fide qua et demones credunt et contremiscunt. Dilectio igitur que ex deo est et deus est, proprie spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris dei caritas, per quam nos tota inhabitet trinitas. Quocirca rectissime spiritus sanctus, cum deus sit, vocatur etiam donum dei. Quod donum proprie quid nisi caritas intellegenda est que perducit ad deum et sine qua quodlibet aliud dei donum non perducit ad deum.

Qua ratione donum dei dicatur spiritus sanctus.

An et hoc probandum est donum dei dictum esse in sacris litteris spiritum sanctum? Sed et hoc expectatur: habemus in evangelio secundum Iohannem domini Ihesu Christi verba dicentis: Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aque vive. Porro evangelista secutus adiunxit: Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant cre-